

panci, quo modo homo nihil ex se boni, sed solum defectum et malum habeat; et quo modo omne bonum ex liberali Dei munere dependeat.

182. Adverte tamen, hanc virtutem non esse præstantiorem theologicis; quia hæc proxime nos Deo jungunt: neque religione quia; præstantius est Deum colere, eique honorem et reverentiam exhibere; quam suam abjectionem profiteri, et cohibere se ab inordinato affectu excellentiæ. Ob eandem causam non est præstantior obedientia; quia hæc bene ordinat affectum ad totam legem, illum legi conformans: neque iustitia legali; quia vel hæc non distinguitur ab obedientia; vel si distinguitur, respicit bonum commune, et ad omnia, quæ ad bonum commune pertinent recte nos ordinat. Humilitas vero non conformat nos formaliter legi, neque intendit bonum commune; sed facit hominem bene subjectum Superiori, et ordinationi tum legis tum iustitiæ legalis, ut D. THOMAS a. 5. in 6. iudicat. Est tamen præstantior fortitudine et temperantia, ut docet Cajetan. art. 5. sub finem, ex sententia D. THOMÆ; quia in illa majus bonum rationis cernitur; reddidit enim humilitas hominem subditum et patulum bono rationis, non in hac vel illa materia, sed universe: quod est præstantius quam recte se habere circa pericula mortis vel voluptates tactus. Ob eandem rationem videtur etiam præstantior iustitia particulari, etsi Cajetanus dissentiat. Notandum tamen, has virtutes non posse exacte inter se comparari, cum habeant proprias excellentias diversorum generum, quibus se mutuo excedunt, et exceduntur; unde quæ una ratione videtur præstantior, altera est inferior.

#### DUBITATIO VIII.

QUID SIT SUPERBIA, ET QUOMODO AB ALIIS VITIIS DISTINGUATUR, ITEM DE NIMIA SUI ABJECTIONE.

D. Thom. quæst. 162.

183. Humilitati opponuntur duo extrema vitia; *superbia*, per excessum; et *nimia sui abjectio*, per defectum.

*Superbia* dicitur a *super*, et *eo*; quod supra suam mensuram eat, juxta illud Psalm. 130. *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Definitur a D. AUGUSTINO L. 14. de Civit. cap. 13. n. 1. *Quid est, inquit, superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus?* et a PROSPERO sententia 292. (al. 294.) *Superbia est amor excellentiæ propriæ, nempe inordinatus.*

*Perversam celsitudinem* vocat, non quæ in seipsa, sed quæ respectu appetentis perversa sit; eo quod ipsi non congruat. Unde cum dicitur, *perversæ celsitudinis appetitus*, idem valet ac si diceretur, *appetitus perversæ excellendi*; superbus enim appetit excellere, sed perverso modo, id est qui sit contra rectam rationem; unde et ipse appetitus perversus est. Si enim objectum est pravum, etiam appetitio ejus prava est.

Sed difficultas est quo modo excellentia hic accipiatur, absolute an relate; id est, utrum *superbia* sit appetitus excellendi absolute, an solum præcellendi aliis. Martinus, ut refert Cajetanus, putat superbum solum appetere præcel-

lere aliis, unde definit *superbiam amorem excellentiæ despectivæ*, id est, quo ita amat excellere, ut alios præ se contemnat. Sed verius est, *superbiam* ad hoc non esse restringendam, ut recte ostendit Cajetanus. Potest enim quis esse *superbus*, etsi nemini explicite se præferat. *Superbia* enim est æquare se maioribus, et non solum illis se præferre; quamvis implicite in actu *superbiæ* semper aliqua contineatur prælatio. Effert enim se supra se, ac consequenter supra alios ejusdem sortis; unde fit ut quotiescumque se cum æqualibus confert, se illis etiam expresse præferat: sed de implicita illa prælatione hic non est quæstio; explicita vero non habet locum nisi in quibusdam actibus. Itaque objectum *superbiæ* adæquatum, est *excellentiæ in genere*, ut extendit se ad excellentiam absolutam et relativam; ab utraque tamen per se abstrahens; sicut objectum *Metaphysicæ* est ens communiter se habens ad absolutum et relativum, ut inquit Cajetanus.

*Dices*: Etiam quædam alia vitia spectant excellentiam tanquam objectum. *Præsumptio*, in functionibus; inclinatur enim ad functiones, quæ proprias vires superant: *ambitio*, in dignitatibus et honoribus, tendens ad dignitates proportionem subjecti excedentes: denique *cenodoxia* in fama et gloria. Virtus quoque *magnanimitatis* in iisdem rebus magnitudinem et excellentiam spectat; inclinatur enim ad excellentes functiones, ad excellentes dignitates et honores, ad excellentem famam et gloriam, ut patet ex dictis supra de Fortit. cap. 2. dubit. 3. Quomodo ergo ab his distinguitur *superbia*; cum hæc quoque excellentiam spectent et pro objecto habeant?

R. *Superbiam* ab istis vitiis distingui, quod ipsius objectum sit in genere excellentiæ personæ: istorum vero, excellentia non personæ, sed functionis, vel dignitatis, vel famæ, applicata nimirum ratione excellentiæ et magnitudinis ad certam materiam. Quod ut melius intelligatur,

184. Notandum est, personam posse tripliciter ad virtutes et vitia comparari; *primo*, ut subjectum; *secundo*, ut objectum; *tertio*, ut mensuram objecti, sive ut terminum commensurationis illius, quæ in objecto spectatur. Primus modus est communis omnibus virtutibus et vitiis. Persona enim seu suppositum se habet ad omnia tanquam subjectum; cum ipsa nihil sint aliud quam bona vel mala dispositio suppositi ad suum opus. Tertius modus est communis respectu omnium virtutum et vitiorum, in quibus medium constituitur in objecto ex ordine ad proprium suppositum; ut in temperantia, quæ inclinatur ad cibum et potum secundum eam mensuram, quæ congruit supposito; et in magnanimitate, quæ inclinatur ad magnas virtutum functiones, tamen juxta mensuram propriæ personæ: præsumptio vero inclinatur ad magnas functiones, sed supra personæ mensuram; imtemperantia ad cibum et potum, sed supposito non commensuratum. Secundus modus est proprius *superbiæ* et humilitatis, hæc enim respiciunt suum suppositum per modum objecti: *superbia* enim intendit illius exaltationem, humilitas depressionem. Unde in definitione *superbiæ* signate dicitur *excellentiæ propriæ*, id est, quæ primo et per se circa personam consideretur. Confirmatur, quia per *superbiam* ipsa persona sese inflat et extollit; et si quid in operibus externis magni vel splendidi faciat, huc refert, nimirum ut ipsa magni fiat. Itaque generatim excellentia personæ est objectum super-

biæ: præsumptionis vero objectum est excellentia operis: ambitionis excellentia in dignitate: et inanis gloriæ in famæ opinione.

Adverte tamen, hæc vitia non ita distingui a superbia, quin ipsius sint fructus, qui ex ipsa nascantur, eamque supponant. Nam ex inordinato appetitu excellentiæ personæ fit ut quis aggrediatur opera præsumptuosa, et ad magnas dignitates, honoresque supra suam proportionem adspiret. Ideo enim hæc appetuntur ut ipsum suppositum excellens videatur; itaque ex affectu superbiæ procedunt, et ad illius finem ordinantur: et sic ad superbiam pertinent, saltem tanquam actus imperati, ex natura rei illi maxime conjuncti. Magnanimitas manifeste a superbia distinguitur; tum quia non appetit principaliter magnitudinem personæ, sed operis; tum quia magnitudinem illam non appetit, nisi secundum præscriptum rectæ rationis, et commensionem ad proprium subjectum; quorum utrumque contrario modo se habet in superbia.

185. Porro ut natura et functiones superbiæ melius intelligantur, notandum est, quod sicut humilitas supponit considerationem suæ imperfectionis, et ex ea oritur; ita superbia considerationem suæ perfectionis (sub qua intellige quidquid ullo modo ad excellentiam facit), et ex hac consideratione nascitur. Dum enim quis suam perfectionem considerat, dissimulatis imperfectionibus, et non advertit se illam a Deo habere; videtur sibi multo excellentior quam revera sit: sicut et merces præstantiores videntur emptoribus, quando vitia non considerant. Nam purum bonum multo est excellentius quam imperfectionibus permixtum. Hinc nascitur amor istius excellentiæ apprehensæ, quo illa placet homini, et homo propter illam sibi plus quam oportet: ex his vero æstimatio sui, qua plura se facit quam oportet. Atque hic est primus superbiæ actus in animo completus. Sicut enim primus actus humilitatis est vilipensio sui; ita primus superbiæ est magnipensio sui, qua quis seipsum æstimat supra id quod est: qui actus non consistit in solo iudicio vel apprehensione, sed etiam in affectu, quo erga se tanquam quid magnum afficitur, et talem quodammodo se facit, qualem apprehendit. Unde superbus dicitur seipsum inflare, tumefacere, exaltare: quia quantum in se est, affectu et apprehensione, ut affectui servit, majorem se facit et celsiorem quam reipsa sit. Dixi esse *primum actum completum*, quia affectio illa voluntatis, quæ præcedit hanc æstimationem, non est actus completus, a quo quis dicitur superbire et se elevare; sed est inclinatio interna ad actum completum; sicut inclinatio religionis ad cultum Dei non est actus completus religionis, sed ipse actus colendi; est igitur hic ordo actuum animi. *Primo*, est consideratio perfectionum conjuncta cum defectu considerationis imperfectionum, et dependentiæ a Deo. *Secundo*, apprehensio majoris excellentiæ quam insit. *Tertio*, amor illius, seu simplex complacentia. *Quarto*, æstimatio sui ex illa apprehensione et amore orta. Amor enim accedens illi apprehensioni, facit excellentiam majorem videri et plura æstimari.

Hæc igitur æstimatio sui est primus actus superbiæ completus, et fundamentum cæterorum qui superbiæ tribuuntur. 2°. Hinc sequitur, ut æstimet se dignum et idoneum rebus magnis, suamque mensuram excedentibus. 3°. Ut inordinate appetat dignitates, et alia quæ ad excellentiam pertinent, tanquam sibi congruentia. 4°. Ut ab aliis quoque velit magni fieri, honorari,

et laudari. 5°. Si videat id se non obtinere, indignatur, irascitur, dolet. 6°. Conferendo se aliis, censet se meliorem, doctiorem, potentiorem, etc.; unde et alios contemnit, et quæ ab aliis fiunt parvipendit. Ad suos enim defectus clausos habet oculos, et ad suas perfectiones apertos: contrario vero modo gerit se in iis, quæ sunt proximi. Hinc fit ut sua plura æstimet, et præferat rebus proximorum, et seipsum personæ proximi. 7°. Recusat se subjicere Superioribus, quasi id ipso sit indignum; persuadens sibi, se illis esse prudentiorem, et melius seipsum gubernaturum. 8°. Recusat etiam se Deo subjicere, apprehendens illud tanquam sit contra suam dignitatem, etc.; volens suo arbitrato vivere, quasi Deo opus non habeat. Hi actus hujus vitii, et hoc fere ordine ab illo procedunt.

186. Ex dictis colligitur, hoc vitium esse speciale: habet enim speciale objectum per quod a cæteris distinguitur, ut ostensum est; et speciales functiones, quas modo recensuimus: quadam tamen ratione potest dici vitium generale, nimirum potestate causandi; quatenus ex superbia quodvis peccatum nasci potest. Id autem fieri potest dupliciter, ut explicat D. THOMAS art. 2. *Primo*, directe, ut si quis peccet eo fine ut videatur excellens et neminem curare, neminem timere; tunc enim directe ex affectu superbiæ illud peccatum imperatur. *Secundo*, indirecte, et quasi per accidens, scilicet removendo prohibens, quatenus semel per superbiam divina lege, qua a peccando prohibebatur, abjecta, veluti remoto fræno, facilis est homo in quodvis peccatum ruere, juxta illud Jeremiæ 2. *Confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti, non serviam*: priore modo peccatum est ex contemptu; hoc vero ex affectu voluptatis, commodi, honoris, etc. His adde quadam ratione posse dici generale essentia et attributione; quia omne peccatum tacitam quamdam superbiam continet ipso opere: magna enim est præsumptio audere Deum offendere, et veluti contra se lacessere, non timere fulmen maledictionis, non curare præsentem majestatem. Simili modo omne peccatum est quidam Dei contemptus interpretativus.

187. Alterum vitium humilitati oppositum est *inordinata sui abjectio*. Humilitas enim etsi inclinet ad sui abjectionem, non tamen quovis modo, sed prudenter; nimirum, cum iis circumstantiis, quibus debet: debet enim ita fieri ut non redundet in injuriam status, vel officii quod geris, vel talenti quo præditus es, aut in eorum incommodum, quibus prodesse potes vel debes. Si ergo aliqua talis circumstantia desit, erit vitium humilitati oppositum per defectum; quatenus nimis parum tuam dignitatem et excellentiam curas: ut si Sacerdos subjiciat se iudicio seculari: si Superior flexis genibus petat veniam ab inferiore: si Episcopus præponat sibi Sacerdotem vel Diaconum, etc.

*Dices*: Talis abjectio sui videtur opponi humilitati per excessum: nimium enim se humiliat.

R. Humilitatem dupliciter posse considerari. *Primo*, quatenus refrænât appetitum excellentiæ; et hoc modo *superbia* ei opponitur per excessum, nimia vero *abjectio* per defectum. Sicut enim superbia nimium appetit ea, quæ ad excellentiam pertinent; ita nimia sui abjectio nimis parum. Humi-

litas vero inter hæc extrema medium rationis tenet. *Secundo*, quatenus inclinatur ad ea, quibus suam vilitatem profitetur: hoc modo nimia sui abjectio opponitur humilitati per excessum, superbia vero per defectum; quamvis deformitas superbiæ magis consistat in nimio excellentiæ appetitu, quam in humilitatis defectu.

Nec obstat quod nimia sui abjectio videatur pertinere ad pusillanimitatem, quæ opponitur non proprie humilitati, sed magnanimitati: quia si fiat ex nimio affectu ad se dimittendum, opponitur humilitati: si vero ex nimia honoris, tanquam rei nimis magnæ, fuga; opponitur magnanimitati, et pertinet ad pusillanimitatem: quale autem hoc sit peccatum, patet ex dictis de Fortit. capite 2. dubit. 3. æstimandum enim est ex injuriâ quæ fit statui, et incommodo quod sequitur, etc.

## DUBITATIO IX.

DE SPECIEBUS SUPERBIÆ, ET QUALE PECCATUM SIT SUPERBIA.

D. Thom. art. 4. et seqq. quest. 162.

188. D. GREGORIUS L. 23. Moralium capite 7. quatuor species superbiæ constituit. *Quatuor*, inquit, *sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur, cum bonum aut a semetipsis habere se æstimant: aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant: aut certe cum jactant se habere quod non habent; aut despectis cæteris singulariter videri appetunt habere quod habent.* Ratio harum specierum est. Superbia consistit in eo quod homo se æstimet excellentiorem quam revera sit: hoc autem fieri potest tripliciter. 1º. Si putet se esse causam sui boni: magni enim refert ad excellentiam, si sua industria vel meritis bonum illud sit consecutus. 2º. Si putet se habere bonum, quod non habet. 3º. Si putet se habere tam excellenti gradu, ut id, quod est in cæteris, quasi nihili reputet respectu boni sui. Et quidem si putet se causam sui boni; vel censet se causam illius physicam (v. g. se industria, ingenio et labore suo id comparasse, cum aliunde acceperit), et sic erit prima species; vel causam meritoriam, et sic erit secunda species. Si putet se habere bonum, quod non habet, vel in eo sitam excellentiam, quæ non est, et inde se extollat, erit tertia species. Denique si putet se illud habere tam excellenti gradu, respectu aliorum, ut illorum bona non videantur ipsi cum suo posse conferri, erit quarta species.

Ubi advertite, non esse necessarium ad istas species, ut quis apud animum suum serio judicet se bona a se habere, aut suis meritis absque Dei gratia obtinuisse (sic enim deberet esse hæreticus): sed satis est ut apprehendat illa tanquam sua et a se dependentia, absque formali judicio, et simul non consideret quo modo illa acceperit; tunc enim poterit se ita gerere, et in animo se extollere, ac si sola sua industria haberet: ut patet in paupere, qui alienis opibus affatim fruens, non aliter se effert, quam si essent suæ, vel sua industria partæ; quia non meminit, vel certe non advertit esse beneficium alterius; quamvis expresse id non neget, nec contrarium judicet.

189. *Dices*: Si indignus affectet Doctoratum vel Episcopatum propter dignitatem, committit peccatum superbiæ, et tamen in nulla dictarum specierum; similiter si tanti Doctoratum jam obtentum faciat, ut malit peccare mortifere quam illum gradum perdere.

R. Priorem modum pertinere ad tertiam speciem. Dum enim adspirat ad gradum, quo est indignus, intumescit de bono, quod non habet: quia effert et gerit se tanquam idoneum, cum sit ineptus. De altero modo respondet Cajetan. eum non comprehendi speciebus enumeratis; eo quod in illo non sit inordinatio ex parte objecti, sed solum ex parte appetentis: species autem istæ sunt assignatæ ex parte objecti. Posset tamen referri ad tertiam speciem: quia qui tanti facit gradum, tribuit illi excellentiam, quam revera non habet. Sicuti cum dives sese effert propter divitias, et parem facit aliis sapientia vel sanctitate conspicuis, tribuit sibi per divitias sua æstimatione quod non habet in veritate.

190. Notandum est, supradictas species singulas posse quatuor modis exerceri. 1º. Si æstimes bonum tuum juxta aliquam istarum specierum in animo tuo, et ibi te extollas, verbi gratia, te illud industria tua parasse, vel ex meritis habere, vel illud majus esse quam sit, vel cæteris te per hoc longe præstare. 2º. Si velis ut ita etiam æstimetur in animo alterius. 3º. Si coneris illud ipsum opere declarare: ut si ita te opere externo geras, ita loquaris, ac si illud bonum tali modo, tali gradu ac perfectione haberes. 4º. Si advertens te tali modo non habere, optes saltem ita habere ut inde te possis extollere et gloriari: item si desideres id aliis esse persuasum; vide aliqua in hanc sententiam apud Toletum L. de septem peccatis mortalibus. cap. 4.

191. Quod ad alteram partem dubitationis attinet, quale peccatum sit superbia, D. THOMAS art. 5. docet ex genere suo esse peccatum mortiferum; et art. 6. docet esse gravissimum peccatum. Sed hoc intelligendum est de superbia in gradu completo, quæ omnem humilitatem et subjectionem excludit; ut cum quis tantum sese effert, ut nolit etiam Deo et legi divinæ esse subjectus, qualis est in diabolo, et in hominibus quibusdam pessimis. Hæc sola est superbia completa: quia quamdiu homo vult manere Deo subjectus, adhuc habet aliquid humilitatis, ac proinde superbia ejus est adhuc imperfecta.

Dicitur gravissimum peccatum, non quod inter omnes peccatorum species sit gravissimum, cum odium Dei sit gravius: sed quia ad genus gravissimorum pertinet, nempe eorum in quibus aversio a Deo est directe volita. Itaque dicitur gravissimum respectu eorum in quibus aversio solum censetur volita interpretative; ut sunt quæ ex ignorantia, infirmitate, vel alicujus boni temporalis amore committuntur, ut recte D. THOMAS art. 6. docet. Quod autem aversio directe sit volita in superbia, patet; quia nolle subjici Deo, est directe avertere voluntatem ab ejus subjectione, et consequenter ab ejus obedientia et regimine, ac nolle illum habere superiorem ac rectorem. Provenit autem hæc aversio ex amore perversæ excellentiæ, quam affectat per hoc, quod est esse plane liberum et sui juris: cui libertati repugnat omnis subjectio; itaque recusat subjectionem, quatenus hæc repugnat excellentiæ libertatis, quam quærit. Potest etiam ista aversio provenire ex ira in Deum,

vel odio; sicut ex iisdem causis potest quis recusare subjectionem alicujus Principis terreni.

Si vero loquamur de superbia incompleta, hæc non semper est peccatum mortale, nisi quatenus nobis est causa alicujus peccati mortalis; verbi gratia, violandi alicujus alterius præcepti divini, vel subtrahendi se ab obedientia Ecclesiæ aut alterius Superioris, vel in integrum, vel ex parte; quoad aliquod præceptum obligans sub mortali: vel si fiat cum notabili injuria aut contemptu proximi. Extra hos casus superbia solum est peccatum veniale: ut docet Navarr. cap. 23. n. 6., Toletus de peccatis mortal. cap. 4., Cajetan. verbo *Superbia*, et passim alii; nam in genere pluris se facere quam oporteat, per se non est gravis inordinatio. Est tamen hoc peccatum valde periculosum, quia facile parit contemptum aliorum, et inobedientiam erga Superiores, redditque hominem ineptum ad bonam instructionem capessendam, et ad functiones aliarum virtutum, quæ absque humilitate vix fiunt.

192. Notandum est 1°. Superbiam esse primum mundi peccatum: Ecclesiastici 10. *Initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, et adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem.* Et Tobiae 4. *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio:* nam primum peccatum fuit Luciferi, qui peccavit superbia, divinam similitudinem perverse appetendo. Colligitur Isaia 14. et Ezechielis 28.; a peccato autem Luciferi reliqua manarunt tum in alios angelos, qui etiam primo superbia creduntur peccasse; tum in genus humanum, cujus etiam primum peccatum superbia fuit, ut communiter Theologi tradunt.

Nec obstat quod 1. ad Tim. 6. *cupiditas omnium malorum radix* dicatur: non enim vult Apostolus cupiditatem opum, de qua ibi loquitur, esse primum peccatum generis humani; sed ex hac cupiditate omne genus peccati committi posse, et pleraque in genere humano reipsa committi.

Notandum 2°. Superbiam a D. GREGORIO L. 31. *Moralium* cap. 31. (al. 43. n. 87.) non annumerari aliis vitiis capitalibus, sed poni reginam et matrem omnium vitiorum, propter universalem ejus influentiam, quam habet in omnia vitia; et quia interpretative in omni vitio includitur, ut superiori dubitatione ostensum est. Unde GREGORIUS loco citato, *Tentantia*, inquit, *vitia, quæ invisibili contra nos prælio regnanti super se superbiæ militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus subsequuntur.* Et infra: *Ipsa namque vitiorum regina superbia, cum devictum plene cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit.* Rursum infra: *Radix cuncti mali superbia; primæ autem ejus soboles; septem nimirum principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur.* A quibusdam tamen, ut a CASSIANO L. 3. cap. 4. numeratur inter vitia capitalia, eaque octo statuuntur: sed modus GREGORII est magis receptus.

## DUBITATIO X.

DE STUDIO SIVE CURIOSITATE.

*D. Thom. quest. 166. 167.*

193. *Studiositas* est virtus, secundum D. THOMAM, quæ affectum et studium cognoscendi juxta rectæ rationis normam temperat. Proxima hujus materia non est ipsa per se cognitio (hæc enim non est libera, nec eget ulla moderatione ut in se sit qualis esse debet); sed studium cognoscendi: hoc enim est actus liber, elicited vel imperatus a voluntate, et rationis moderatione indigens ut sit actus virtutis. Nam *studium* cognoscendi nihil est aliud quam vehemens animi applicatio ad aliquid cognoscendum; quæ applicatio fit per voluntatem; hujus enim est reliquas potentias, quarum liberum est exercitium, ad suas functiones applicare, iisque ad suum finem uti. In ista autem applicatione duo actus continentur; affectus sciendi, et conatus. Affectus est in voluntate, et vocatur usus activus: nam per ipsum velle, potentiæ active applicantur. Conatus est in ipsis potentiis cognitivis, et dicitur usus passivus vel formalis; quo ipsæ potentiæ intrinsece et formaliter applicantur ad suum opus. Nihil enim est aliud quam ipse actus cognitionis, vel certe productio ejus, ut voluntati subest: ut colligitur ex 1. 2. quest. 16. art. 1. Itaque studium hoc loco continet et usum activum, quo voluntas active potentias cognitivas ad suas functiones applicat; nimirum oculos ad legendum, aures ad audiendum, phantasiam ad imaginandum et apprehendendum, intellectum ad considerandum et judicandum: et usum passivum, nimirum actus istarum potentiarum vel actuum productiones, ut usui activo subsunt, ab eoque dependent, et moraliter informantur; hi enim proprie studium dicuntur.

194. Officium igitur hujus virtutis est 1°. Moderari appetitum sciendi, ut quis non velit plura aut altiora scire, quam ipsius conditioni et capacitati conveniat; nec pluris faciat scientiam, quam oportet, præponendo illam virtuti, aut rebus ad salutem necessariis; sed ut illam æstimet et amet in suo gradu. 2°. Moderari ipsum studium, et conatum animi in acquirenda scientia, vel ea utenda, rectæ rationis regulam illi imponendo; nimirum ut studeamus ea diligentia qua oportet, et eo fine quo oportet, et illis rebus quibus oportet, illis adminiculis, illis etiam locis et temporibus quibus oportet. 3°. Non solum refrænare affectum et moderari studium; sed etiam interdum utrumque impellere et incitare: nempe quando quis ob laborem conjunctum, studium sibi necessarium vel congruum refugit, vel in eo languide se gerit, vel si congrua adminicula non adhibeat. Et quia hoc plerisque accidit (plures enim in rebus necessariis vel utilibus addiscendis deficiunt quam excedunt), ideo hæc virtus potius ab impellendo quam a refrænando dicitur.

Ex his colligitur, hanc virtutem, qua parte refrænatur affectum ne nimium scientiarum studium feratur, annexam esse temperantiæ; cujus munus est moderari affectum ne nimium in voluptates corporis se effundat: magna

enim est voluptas cognitionis; unde et *omnes homines naturaliter scire desiderant*, Aristotele teste: itaque oportuit hunc affectum aliqua virtute temperari et veluti cohiberi, ne modum excedat; qua vero contra laborem impellit, posse reduci ad fortitudinem. Opus enim est aliquo animi robore ad difficultates studiorum superandas: quod robur non debet alteri virtuti assignari quam huic; quia ordinatus sciendi affectus ad illud sufficit.

*Studiositati* duo vitia opponuntur, *curiositas* et *negligentia*; illa per excessum, hæc per defectum.

195. *Curiosus* generatim dicitur, qui majorem curam circa rem aliquam inutilem cognoscendam, vel efficiendam, vel comparandam adhibet, quam ratio postulet; sic dicimus aliquem curiosum in vestibus, in suppellectili, in sermone, in rebus peregrinis conquirendis, in arte sua, et similibus. Itaque *curiositas* generatim denotat superfluum diligentiam circa res inutiles, vel qualitatem earum minime necessariam. Proprie vero locum habet in studio et amore cognitionis nihil ad nos pertinentis: nimirum cum quis superfluum diligentiam adhibet, ut aliquid sciat, quod nihil ad ipsum scire attinet, vel quod captum ipsius superat, idque affectu solius cognitionis; tales enim proprie curiosi dicuntur: ut sunt qui res alienas scire cupiunt et investigant, tantum ut illas sciant. Quod si non affectu cognitionis, sed operationis scire conentur; verbi gratia, ut aliis noceant, vel sibi consulant, non erit proprie curiositas, nec illi dicentur curiosi. Unde patet, non omnem inordinatum affectum sciendi, nec omnem excessum in studiis esse curiositatem; sed illum, qui tendit in ipsam scientiam propter se, maxime in eam, quæ est homini inutilis.

Et quia omnis fere nostra cognitio parvi est momenti, si in sola speculatione maneat, nec ad usum vitæ, vel ad recte vivendum, Deumque cognoscendum adhibeatur; ideo curiosi etiam dicuntur, qui cognitionem aliquam philosophicam, vel etiam theologicam quærent, ut in sola sterili speculatione sistant; unde D. AUGUSTINUS L. de vera Religione c. 29. ait: *Non frustra et inaniter intueri oportet pulchritudinem cæli, ordinem siderum, candorem lucis, dierum et noctium vicissitudines, lunæ menstrua curricula, anni quadrifariam temperationem quadripartitis elementis congruentem, tantam vim seminum species numerosque gignentium, et omnia in suo genere modum proprium naturamque servantia. In quorum consideratione non vana et peritura curiositas exercenda est; sed gradus ad immortalia et semper permanentia faciendus.* Ubi aperte D. AUGUSTINUS talem cognitionem curiosam vocat.

*Dices*: Talis cognitio, v. g. Physica vel Mathesis, est virtus intellectus; ergo per se appeti potest; ergo illam per se appetere, et in illa sistere non est curiositas.

R. Non esse curiositatem, saltem vitiosam, illam per se appetere, modo æstimetur in suo gradu, seu non pluris quam oportet: secus vero si ita appetatur et quærat quasi in ea magna quædam felicitatis portio consistat; sicut fit a vanis hominibus et philosophis ethnicis. Item si sic quærat ut Dei vel rerum ad salutem pertinentium cognitio vel cura negligatur. Hoc igitur modo in illa sistere curiositatis est.

Addo, etiamsi æstimetur in suo gradu, nec ita quærat ut necessaria ad

salutem prætermittantur, tamen appetitum et studium sciendi propter nudum scire non esse laude dignum, ac proinde neque opus virtutis: sed pertinere ad quamdam curiositatem, si non malam, at certe adiaphoram. Nec refert quod scientiæ dicantur virtutes; quia non sunt virtutes simpliciter quæ hominem reddant probum, sicut justitia, temperantia, fortitudo: sed secundum quid; quia perficiunt intellectum ad suas operationes, et in ordine ad proprium objectum: alioquin inter bona naturalia et adiaphora censendæ sunt, sicut vivere, sentire, intelligere, propter quæ nemo laude, vel vituperio dignus est, etsi hæc per se sint expetenda. Unde patet, curiositatem esse, si quis majorem partem cogitationum et curarum suarum in hac tanta vitæ brevitate et incertitudine, in illas expendere velit, nisi ad meliorem usum referantur: quia revera tanta temporis et industriæ jactura non sunt per se dignæ, et hæc videtur mens D. AUGUSTINI.

Neque solum in cognitione intellectus, sed etiam in notitia sensuum curiositas locum habet; nimirum, cum quis appetit videre, audire, olfacere, gustare, tangere, sciendi, judicandi, vel discernendi causa, ea, quorum notitia ad ipsum nihil attinet.

Dico *sciendi* vel *judicandi causa*, quia si non causa notitiæ, sed voluptatis, quæ ex ipsa re percipitur, vel actionis; videre vel alio sensu apprehendere quid velis; non erit proprie curiositas; sed poterit esse alterius generis peccatum, vel etiam quid adiaphorum: ut si musicam audire velis, non ut judices de vocibus, symphonia vel alia re simili, sed ut voluptatem auribus captes. Simile est in aliis sensibus, etiam in tactu; aliud enim est tangere causa noscendi, ut discernas inter calidum et frigidum, humidum et siccum, durum et molle, elatum et depressum, aliasque qualitates tactiles et figuras; aliud voluptatis causa. Itaque sensuum usus pertinet ad curiositatem, quatenus ordinatur ad nudam notitiam, et discretionem sensibilium; nec per illum quaeritur voluptas illa, quam ipsa res per se affert; cujus signum est, quod ex curiositate non minus ea quæ offendunt, quam quæ delectant, sentire velimus. Unde facile est distinguere utrum aspectus vel contactus ad libidinem, an ad curiositatem attineat.

196. *Petes*, Quale peccatum sit curiositas.

R. Per se solum esse veniale: quia non est magna inordinatio quod homo appetat scire quæ ad se non pertinent, aut superfluum in hujusmodi rebus operam ponat, modo necessaria non negligat. Ratione tamen circumstantiarum potest esse mortale.

1º. Ratione prohibitionis; ut si tale quid legere, audire, spectare sit prohibitum: ut si quis legat libros vetitos: si spectet duella, vel ludos spectari vetitos: si velit audire vel cognoscere quæ dicuntur in confessione, absque consensu poenitentis: si religiosus exeat monasterio ut audiat jus civile, vel medicinam: similiter si sacerdos vel beneficiarius habens dignitatem, vel personatum, eandem disciplinam publice audiat; et sunt hi tres ipso facto excommunicati, si per duos menses continent; ut patet ex cap. *Non magnopere*. 3. et cap. *Super specula*. 10. *Ne Clerici vel Monachi negot. secul.* et cap. 1. eodem, in Sexto. Non tamen peccant si isti privatim ob bonum finem hujusmodi disciplinis vacent. Crediderim quoque aspectum duelli, vel alterius spectaculi prohibiti non esse mortale peccatum, si quis casu aliquo ex